



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. V. De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

VII. Quare ultimo; In quibusnam teneamur vitare interdictos denunciatos?

Respondeo, laicos non teneri vitare interdictos etiam nominatim denunciatos nec in humanis, nec in Divinis, præterquam in sepultura. Ita communiter apud Avil. dub. 3. contra Sayr., & alios apud Bonac. putantes, laicum teneri vitare interdictum in Divinis. Ratio communis est, quia id in jure non prohibetur laicis: Quare si Sacerdos admittat hujusmodi interdictos ad missam audiendam, laici non tenentur illos expellere, sicut tenentur expellere excommunicatos non toleratos. Et ratio a priori est, quia sola excommunicatio privat etiam Divinis officiis, in quantum sunt quædam communicatio cum fidelibus. Clerici vero sub mortali tenentur vitare nominatim interdictos in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti. Hoc tamen intelligendum solum de Clericis celebrantibus Divina officia, & de permittentibus illa celebrari, quando illis est commissum regimen talis Ecclesiæ; Etenim in cap. *Non est vobis, de Sponsalib.* dicitur, *Ne celebretis, nec aliquem celebrare permittatis.* Quare si illis non sit commissum regimen Ecclesiæ, non dicuntur permittere, interdictos audire Divina officia, si illos non expellant; quia in tali casu Clerici se habent tamquam laici.

#### ARTICULUS V.

De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

- I. *Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum.*
- II. *Interdictum latum ad tempus, eo lapsò, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute, sine absolutione non cessat. Nec Pars VIII.*

*cessat interdictum locale per destructionem adificiorum illius loci.*

III. *Interdictum personale generale latum contra Communitatem, hac dissoluta, cessat ligare solum innocentes, non vero eos, qui causam interdicti dederunt.*

IV. *Interdictum personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus.*

V. *Tacite reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem; aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale.*

VI. *Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a Principali delinquente satisfactio offeratur.*

VII. *Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum.*

VIII. *Recensentur celebriores casus, in quibus a jure latum est Interdictum sive Locale, sive Personale.*

I. **N**otat Avil. part. 5. disp. 4. dub. 4.; non esse idem tollere ad tempus Interdictum, ac illud suspendere: Nam suspendere est manente Interdicto permittere, ne ejus effectus ponantur; quod solus Pontifex auctor juris communis facere potest, non vero inferiores Papa; cum effectus Interdicti sint a jure communi; in quo nemo inferior Papa dispensare potest: At Interdictum ad tempus tollere potest, qui illud tulit; Sicut potest illud tollere simpliciter, aut tollere ad aliquos tantum effectus, puta quantum ad dicendam aliquam missam, vel ad sepeliendum aliquem; ut notat Avil. loc. cit.; eo quod sola excommunicatio habeat suos effectus inseparabiles secundum jus commune,

X Præ:

Præterea, ut notat Laym. cap. 3. excommunicatio suspendi, seu ad tempus tolli non potest, ita ut elapso tempore, etiamsi satisfactio sit præstita a reo, reincidat: Contra vero Interdictum, argumento cap. *Cum desideres, de Sententia excommunicat.*

II. Quæritur nunc primo; An sine absolutione cessare possit Interdictum?

Respondeo: Universim Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione cessat sine alia absolutione elapso illo tempore, vel conditione purificata, juxta dicta quæst. præced. art. 5.: Interdictum vero absolute latum non cessat sine absolutione. Ita communiter. Porro Interdictum locale non cessat per destructionem ædificiorum illius loci; non possunt enim sepeliri corpora in solo Ecclesiæ interdictæ destructæ; ut docet Suar. disp. 38. sect. 1.

III. Interdictum vero generale latum contra aliquam Communitatem, dissoluta communitate, cessat respectu innocentium, non vero respectu eorum, qui causam culpabilem Interdicto dederunt, quia tale Interdictum respectu istorum est speciale.

IV. Quæritur secundo; Quinam possit absolvere ab Interdicto?

Respondeo, Interdictum locale, aut generale personale non reservatum relaxari posse ab Episcopo, aut ab alio habente in dictum locum, aut communitatem jurisdictionem Episcopalem, ex cap. *Nuper, de sententia excommunicat.*; non tamen ab inferiore, quia requiritur ad hoc jurisdictio fori externi. Ita communiter apud Con.: Interdictum vero personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per confessorium, qui possit absolvere a mortalibus, ut diximus quæst. 6. art. 5. cum Bonac. & Suar. contra Avil., Laym., & alios. Interdictum autem reservatum relaxari

potest a reservante; vel ab ejus Superiore, aut successore, ut patet. At Interdictum Papale contractum ob delictum occultum etiam ab Episcopo absolvi potest, ex Trident. sess. 24. cap. 6.

V. Notandum hic tamen cum Pal. §. 2.; dupliciter posse interdictum reservari, primo expresse, secundo tacite, si videlicet in aliquam personam determinatam feratur; alias perturbaretur tribunal Judicis; Vel si ejus causa latum sit interdictum locale, vel generale personale; quia in tali casu interdictum relate ad talem personam est speciale, & reservatum, non sicut ac interdictum loci, vel Communitatis.

VI. Quæritur tertio; Possitne dari absolutio ab interdicto ad cautelam? Et quonam ritu illud relaxetur?

Respondeo, Interdictum locale generale non posse relaxari ad cautelam, ex c. *Sententia, de Sententia excommunicat. in 6.* posse vero alia interdicta, ut communiter Doctores docent; monendo interdictum nunquam esse relaxandum, nisi prius Principalis delinquens offerat satisfactionem. Vide tamen quæ hac de re diximus cum de censuris in genere quæst. 2. art. 3.

VII. Præterea circa ritum tollendi, aut suspendendi interdictum non habetur ulla determinata forma, sed sufficit, quod voluntas interna absolverentis exprimat; Nec ullæ solemnitates, aut cæremoniæ præscribuntur, ne juramentum quidem delinquentis, ut notat Suar. disp. 38. contra Sayr.; quia juramentum in jure solum iungitur pro absolutione ab excommunicatione.

VIII. Denique qui scire velit, quibus in casibus a jure latum sit interdictum sive locale, sive personale, consulat Escob. in summ. cap. 3. Celebriores sunt isti. Primo si dominus terræ injuriose Episcopum percussit aut

aut percutere mandet, a jure latum est interdictum locale generale; Sicuti etiam si Civitas exigat gabellas a personis Ecclesiasticis de rebus ipsarum exportandis; necnon si personæ Ecclesiasticæ manifestis usurariis domos concedant. Secundo, latum est interdictum personale generale, si Capitulum dimissorias concedat infra annum; si ab Ecclesiasticis exigantur tributa: Si appelletur a sententiis Papæ ad futurum Concilium: Si Ecclesiasticis decimæ imponantur, vel ab iis exigantur: Demum incurrit interdictum personale speciale usurpans de redditibus Ecclesiæ vacantis; Necnon Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiastica contra Bullam Paulinam. Item violans Interdictum locale; & Prælati in visitatione recipiens ultra concessa; Necnon Clericus in Sacris, qui in crimine fornicationis jacet.

## ARTICULUS VI.

## De Cessatione a Divinis.

- I. *Neque censura, neque pœna est Cessatio a Divinis, sed imponitur in signum mœroris ob gravem injuriam Ecclesiæ, aut Divinis honori illatam.*
- II. *In multis ea differt ab interdicto. Probabiliter tamen que permittuntur tempore interdicti localis, permittuntur etiam tempore cessationis a Divinis.*
- III. *Probabiliter tempore Cessationis non prohibetur Sacra sepultura, que sine funebri officio fiat.*
- IV. *Præter causam gravissimam plurima conditiones requiruntur, ut indici possit Cessatio a Divinis.*
- V. *Cessationem hanc indicere potest is, qui ferre potest interdictum; Et que tolli solum potest ab eo, qui illam tulit, aut a Superiore, vel successore. Eiusque effectus, non se-*

*cus ac effectus excommunicationis, vi juris communis sunt inseparabiles.*

I. **Q**uæritur primo; Quid sit; Et in quo differat ab interdicto Cessatio a Divinis?

Respondeo, Cessationem a Divinis (quæ & Suspendio Organorum dicitur) non esse censuram, nec pœnam, sed meram prohibitionem Ecclesiasticam, ob quam Clerici cessare debent a divinis officiis, & a Sacramentorum administratione in certo aliquo loco, excepto casu necessitatis; Idque in signum gravissimi mœroris ab Ecclesiæ concepti ob gravem aliquam injuriam Ecclesiæ, aut Divino honori illatam; ut sic injuriosus cogatur satisfacere Ecclesiæ læsæ; ut explicant Laym. & Suar. disp. 39. ex Clement. 1. de Sententia excommunicat.

II. Quare Cessatio a Divinis differt ab Interdicto. Primo quia non est censura, nec pœna proprie dicta, nec unquam a jure imponitur, sicuti Interdictum. Secundo, quia interdictum afficit immediate semper personam aliquam, quæ sua culpa dedit causam interdicto, non vero Cessatio a Divinis; Unde posita cessatione a Divinis, quilibet potest in aliis locis Divina celebrare. Tertio, Clericus agens per exercitium Ordinis Sacri contra interdictum incurrit irregularitatem; at si agat contra cessationem a Divinis, peccat quidem mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem. Quarto, Privilegia concessa circa interdictum, verbi gratia, quod Clerici possint quotidie celebrare cum moderationibus in cap. *Alma Mater*, non habent locum in Cessatione a Divinis, ut communiter docent cum Suar. disp. 39. sect. 2., & Laym. contra quosdam Canonistas; etenim a diversis non tenet illatio. Ex æquitate tamen juris multi probabiliter do-

X 2 cent.